



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Ioannis Azorii Lorcitani, Societatis Iesv Presbyteri Theologi, Institutioes Morales

In Quibus Vnivers[a]e Quaestiones ad Conscientiam recte aut prauè
factorum pertinentes, breuiter tractantur

Azor, Juan

Coloniae Agrippinae, 1612

3 Quomodo diuidat[or] Vsura.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14014

tor permisit usuram non quidem ut licitam, sed ut minus malum ad evitandum maius. Sic videtur sentire Glossa, in l. Ad hac. C. de Vsur. & Glossa in cap. Quid dicam. 14. quest. 4. § cap. Quia in omnibus, de Vsur. & Imola, Glemen. 1. de Vsur.

Alij vero aiunt, prædictum Imperatorem permisit usuram ut licitam, secutum civiles leges antiquiores. Ita Panormitanus, in cap. Cum sit. de Vsur. num. 58. Conradus de contrahibus. questio. 22. conclusio. 30. Bartolus, in l. 1. Cod. de Summa Trinitate, & fide Catholice. Iason. ibidem, & Baldus, in l. Ad hac. Cod. de Vsur. Couarru. lib. 3. Variarum resolutionum cap. 1. num. 6. Alciatus lib. 6. Parergon. cap. 20.

Quicquid sit de hoc, siue Iustinianus concesserit usuram ut licitam; siue solum permisit impune, ut minus malum; siue solum approbaverit eas usuras, quæ solvantur ratione lucri cessantis, vel damni emergentis, vel ratione moræ in solvendo debitum: satis est nobis, usurarum leges Civiles, esse iure Canonico correctas.

Quarto queritur, An usura sit iure naturali prohibita? Responderetur ex communi omnium Theologorum, & Iuriconsultorum sententia, usuram esse iure naturali prohibitam. Solus est Carolus Molinæus hæreseos notatus, qui asseruit, non esse contra rationem, modicum quid accipere pro mutuo, quod alteri datur. Unde in hac re tota difficultas consistit in videndo; quænam sit ratio naturalis, qua prohibetur vllum lucrum posse accipi pro mutuo. Sunt enim qui ostendant ex sola ratione naturali, quod mutuum ex natura sua debet esse gratuitum. Sed re vera hæc ratio non probat efficaciter usuram esse prohibitam; sed solum concludit, mutuum transire in alium contractum, si gratis non fiat: sed restat probare illum contractum in quem transit mutuum non factum gratuito, esse prohibitum. Nam dicere quis poterit illum contractum, desinere esse mutuum, sed fieri alium contractum licitum; siue commodatum, dum gratis sit, est quidem commodatum, sed si fiat pretio, desinit esse commodatum, & transit in contractum licite locationis. Similiter depositum sit fiat pretio, transit in contractum licitum custodiæ. Item fideiussor gratis pro alio fideiubet; sed si id faciat pretio, non statim facit illicitum. Ergo si mutuum propter lucrum detur, desinet esse mutuum; erit tamen alius contractus licitus.

Alij probant usuram esse prohibitam inde, quod in rebus usu consumptibilibus, ut sunt res in pondere, mensura & numero consistentes; in quibus mutuum, & usura versantur, Dominium non distinguitur ab usu; quia usu ipso tota rei substantia consumitur: sed per mutuum rei Dominium transfertur in mutuatarium, ergo transfertur etiam usus: & pro Dominio rei mutuatur mutuarius non debet nisi tantumdem, quantum accepit mutuo: ergo pro usu rei mutuatur nihil aliud debet. Sed hæc ratio videtur aliquid aliud desiderare: quia dicere quis poterit aliquid modicum lucrum posse accipi non quidem pro Dominio, vel usu rei mutuatur, sed pro ipso officio, vel actu mutuandi, quo benefacimus mutuatario; nondum enim videtur esse probatum hoc officium, & actum debere fieri gratuito.

Alij vero probant, usuram esse prohibitam; quia pecunia, in qua mutuum, & usura versantur, sua natura fructum non parit, nisi industria, & opera venturum: ergo contra rationem naturalem est, ut ex mutuata pecunia lucrum accipiamus; quia illud lucrum non provenit ex ipsa pecunia, sed ex industria, & opera mutuatarij: & ideo pertinet ad ipsum mutuatarium tanquam res sua. Hæc etiam ratio solum videtur probare ex mutuo non posse exigere lucrum, quod est ex industria, & opera mutuatarij, nec aliud lucrum, quod pecunia pariat: Siquidem, ut recte probatur, pecunia ex se fructum non edit.

Sed dicere quis poterit, nondum probari, quod non

possit exigere ex mutuo aliquod modicum lucrum pro officio ipso, & actu mutuandi, quo beneficium mutuatario confertur; non enim videtur esse probatum ratione officii, quod is qui mutuatur, pro beneficio mutuandi non possit aliquid modicum exigere: siquidem is, qui pro alio fideiubet, potest aliquid exigere pro officio fideiubendi, quod gratis non tenetur facere; licet si velit, possit gratis fideiubere pro alio.

Hic igitur positus dicendum est, sufficienti ratione naturali probari usuram esse prohibitam; quia lucrum, quod exigitur, ut licitum sit, iure aliquo, & ex aliqua re debet exigere, quæ res eo ipso, quod ob lucrum datur, non datur gratuito. Sed in mutuo nihil est, pro quo lucrum possit exigere. Primo enim, non est Dominium rei mutuaturæ: nam Dominium illud, quod in mutuatarium transfertur, iuste, & iuxta æqualitatem redditur; cum mutuaturus tantundem reddat, quantum accepit mutuo: ergo si obligatur aliquid ultra illud reddere, contra iustitiam obligatur.

Deinde, non potest exigere lucrum pro usu, vel fructu, vel emolumento pecunie mutuaturæ; tum quia usus pecunie via cum Dominio pecunie transfertur in mutuatarium; tum quia pecunia ex se nullum fructum, & emolumentum parit: ergo nihil est in mutuo, pro quo lucrum possit exigere ultra ipsum mutuum. Et cum obicitur: Potest aliquod lucrum modicum exigere pro officio, & actu mutuandi: Contra hoc est argumentum: Aut officium, vel actus mutuandi habet annexum aliquod onus præter naturam suam, aut non habet: si habet, tunc concedimus pro illo onere posse lucrum exigere, ut infra dicemus, ratione damni emergentis, vel lucri cessantis, vel ratione laboris, periculi, vel expensarum, quæ probabiliter timentur future in recuperando mutuo. Quod si non habet, sequitur, ut in mutuo nihil sit, pro quo possit lucrum exigere: nam onus numerandi pecuniam, quæ mutuatur, tum cum fert ipsa substantia mutui: non enim pecunia mutuari potest, nisi numeretur: & numeratio est in bonum vtriusque, mutuantis scilicet, & mutuatarij; nimirum, ut tantundem reddatur, quantum accipitur mutuo, & neuter fraudetur.

Sequitur ex dictis, quare fideiussor possit licite pro fideiubendo lucrum exigere. Nam illud exigere pro obligatione, quæ se obligat ad solvendum creditori, pro debitore: quæ quidem obligatio est pecunia æstimabilis. Nam est obligatio, quæ se obligat ad mutuandum debitori pecuniam, quæ possit statuto tempore suo debitori satisfacere: at veto mutuans, mutuando nullam in se suscipit obligationem, & proinde sequitur, ut si quis se obliget ad mutuandum Titio, quando ipsi liberit, possit lucrum exigere pro illa obligatione; quia illa obligatio ad mutuandum tibi, quando indigueris, revera est pecunia æstimabilis, ut infra dicemus. Unde recte ait Sorus, lib. 6. de Iustitia, quest. 1. art. 2. licite posse aliquem exigere lucrum pro eo quod se obligat ad mutuandum Civitati alicui, vel Communitati, cum sui concines indiguerint. Sic etiam Sorus in 4. Distinct. 15. quest. 2. art. 2. Navat. in Comment. de Vsur. num. 62. Durand. 3. sent. dist. 37. quest. 2. art. 2.

Quo modo dividatur Vsur.

CAPVT III.

V SUR A solet dividi in Mentalem, & Realem Mentalem est, quando quis mutuatur eo animo, & intentione, ut lucrum ex mutuo accipiat, non tamen pacificiter cum mutuatario expresse, vel tacite de lucro, Realem vero est, quando quis mutuatur cum pacto expresse, vel tacite accipiendi lucrum ex mutuo. Unde usura mentalis non accipitur in præsentia pro peccato usuræ interiori, distincto

contra omnem actum exteriorem, sed accipitur pro actu exteriori, quo mutuum datur absque vilo pacto accipiendi lucrum ex eo, sed sola spe, & intentione accipiendi.

Sunt igitur tres gradus vsuræ: Vnus, qui solum est peccatum interius: nimirum, cum quis habet voluntatem accipiendi lucrum ex mutuo; sed mutuum non interuenit, quia nihil mutuat. Secundus, quando quis mutuat spe, & intentione lucrum accipiendi ex mutuo; sed nihil paciscitur de lucro sibi solvendo, & hæc dicitur vsura mentalis. Tertius gradus vsuræ est, cum quis mutuat cum pacto expresso, vel tacito accipiendi lucrum ex mutuo: & hæc dicitur, realis vsura. Quare realis vsura dicitur, quoniam in ea re interuenit pactum vsurarium. Mentalis vero dicitur, quoniam non interuenit in ea re pactum vsurarium, sed solum vsuraria intentio.

Secundo diuidi solet vsura realis in expressam, & tacitam. Expressa dicitur, quando est pactum expressum de lucro solvendo: Tacita vero est, quando est pactum tacitum de lucro. v.g. soluitur est Titius mutuo esse vsurus, & modo mutuatans Caio, ait illi: Scis consuetudinem meam in mutuando.

Tertio diuidi solet vsura realis in formalem, & virtualem. Formalis dicitur, in qua interuenit formaliter mutuum cum lucro ex eo. Mutuat Titius Caio centum, vt elapso anno reddat Caius centum, & quinque. Virtualis dicitur, in qua mutuum interuenit solum virtute. v.g. Titius, quia vendit suas merces credita pecunia, vendit eas carius, quam si soluta statim pecunia vendidisset. Est hic mutuum virtute: quia perinde est, ac si mutuasset pretium mercium, vt certo tempore ei solueretur cum lucro. Similiter Titius quia emit merces anticipata solutione, emit eas minoris. Est mutuum hic in virtute: quia petunde est, ac si v. g. centum mutuasset; vt ad certum diem reciperet centum, & decem, quo pretio aestimabatur merces tempore quo tradentur.

Quarto, diuidi solet vsura in iustitiam in lucrativam, punitivam, restauratoriam. Lucrativa dicitur, quæ sola est propter lucrum ex mutuo. Punitiva dicitur ea, in qua pactum est de poena aliqua solvenda; si mutuatarius in mora fuerit reddendi mutuum tempore statuto. Restauratoria dicitur, in qua pactum est de solvenda aliqua re ex mutuo ratione damni emergentis, vel lucri cessantis; vel ratione periculi, laboris, vel expensarum, quæ probabiliter creduntur futuræ in recuperando mutuo. De quibus omnibus vsuris est differendum, an sint licite, & quo pacto sit obligatio restituendi id, quod per eas accipitur: nam de singulis sunt aliquæ quæstiones, non solum inter Theologos; sed etiam inter ipsos Canonistas, & Iuris Ciuilis consultos.

An ratione damni emergentis possit ex mutuo lucrum exigi.

CAPVT IV.

DAMNVM emergens dicitur, quod patitur in re nostra eo eo, quod mutuumus. v.g. domus mea minatur ruinam; ad quam fulciendam paratam pecuniam habebam, quam tamen tibi mutuo. Item egebam frumento ad familie mee vsum, pecuniam parauerat ad emendum, quam tibi mutuo. Item volebam pecunijs paratis redimere censum, vel as alienum solueret; & quia eas tibi mutuo, censum non redimo, vel ex ære alieno maiores mihi expense proveniunt.

Communis est omnium Theologorum, & Canonistarum sententia ratione damni emergentis posse lucrum exigi ex mutuo. Ita S. Thom. 2. 2. quæst. 78. art. 2. ad 1. c. q. 77. art. 1. Ratio est manifesta: quia quisque potest se indemnem seruare, nec tenetur alteri subuenire cum damno notabili nostro. Est tamen notandum tria requiri in huiusmodi damno emergente. Primum est, vt reuera mutuum sit causa damni. v.g. domus mea indiget reparacione, nec habeo alias

Instit. Moral. Pars 3.

pecunias ad eam reparandam, nisi quas tibi mutuo, tunc mutuum est causa damni. Si tamen alias habeo pecunias, quibus eam possim reparare, vel meus amicus statim mihi offert alias ad eam reparandam, tunc damnum mihi non provenit ex mutuo. Item, si eram alioqui venditurus merces meas credita pecunia, non possum lucrum exigere eo, quod tibi eas vendendo credita pecunia; quia siue tibi, siue alteri, oportebat me eos hoc modo vendere. Item si eram iturus Florentiam ex Vrbe, & alius conducit meam operam, vt Florentiam contendam, non possum in pactum deducere, vt mihi soluat periculum latronum, quod subibo eundo ex vrbe Florentiam, quia cum alioqui essem iturus, subituras eram huiusmodi periculum in itinere.

Primo queritur, Titius mutuo centum accepit à Caio sub vsuris, & deinde Seius petit mutuo à Titio totidem centum, potest ne Titius illa centum mutuae Seio, eo pacto, vt Seius soluat Caio vna cum sorte vsuras, quas Titius erat soluturus Caio? Duæ sunt opinioniones: Prima asserit esse huiusmodi pactum illicitum, quia Titius lucrum exigit ex mutuo, nec videtur posse excusari ratione damni emergentis. Sic Almainus in 4. distinct. 15. quæst. 2. & Monaldus citatus ab Ang. verb. vsura 1. num. 23. Secunda opinio, huiusmodi pactum ait esse licitum. Sic Angelus loco citato, ubi pro hac opinione citat. Calder. Ioannem Andr. Sic etiam Siluest. verb. vsura 1. quæst. 20. & citat Archidiaconum. Sic etiam Maior, in 4. distinct. 15. quæst. 29 in 7. argumento. Quidam vero distinguunt, dicentes huiusmodi pactum esse licitum, si causa ob quam Titius mutuum accepit sub vsuris à Caio, perseverat; quia tunc Titius mutuando Seio, damnum patitur: si vero causa non perseverat, aiunt non esse licitum.

Sed dicendum est, opinionem secundam simpliciter esse veram; quia reuera Titius mutuando Seio, potest se indemnem seruare: vnde lucrum, quod exigit à Seio, accipit ratione damni emergentis. Item nullam iniuriam facit Titius Seio, dicendo ei: Si vis, vt tibi mutuem has pecunias, eas accipe cum eodem onere, quo mihi sunt data.

Secundo queritur, An fideiusor, qui pro debitore compulsus est accipere mutuum sub vsuris, vt satisfaceret creditori, possit vsuras, quas soluit creditori, repetere à debitore? De hac quæstione Ang. verb. vsura 2. num. 19. c. verb. Fideiusor, num. 16. Siluest. eod. verb. quæst. 13. qui ex sententia Ioan. Andr. & Panor. Respondent distinguendo: si fideiusor solum se obligauit pro debitore ad debitum solvendum, & reuera vsuras soluit, vt satisfaceret creditori, tunc non habet ius repetendi eas à debitore; quia sibi imputet, si quidem sponte sua soluit vsuras, cum non esset alioqui obligatus. Item; si vt satisfaceret creditori, promisit se soluturum vsuras simpliciter, absque iuramento, & postea soluit vsuras simpliciter promissas, tunc etiam non habet ius repetendi eas à debitore; quia etiam tunc sponte sua soluit eas: nam simplex promissio vsuratum non habet vim obligandi promittentem. Si vero soluit vsuras, quas promissit cum iuramento se soluturum, tunc habet ius repetendi eas à debitore.

Cæterum hæc distinctio solum videtur habere locum in foro exteriori: nam in interiori foro fideiusor ius habet repetendi à debitore vsuras quas soluit, siue ex iuramento, siue ex simplici promissione; vt pro debitore satisfaceret creditori. Nam fideiusor damnum patitur sub vsuris accipiendo ad soluendum creditori pro debitore: & non est credendum, quod fideiusor solum se obligauerit ad debitum soluendum, sed se obligauit ad illud soluendum in quocunque euentu, & quomodocunque possit, etiam si oportuisset mutuum ab alio accipere sub vsuris.

Tertio queritur, Titius debitor non soluit tempore constituto, & ob id Caius creditor compulsus est sub vsuris accipere tantum, quantum erat debitum: An teneatur solvere huiusmodi vsuras ratione damni emergentis? Respondet Ang. verb. vsura 1. num. 20. tenetur, quia Titius fuit in mora soluendi, & ob id Caius passus est damnum, accipiendo

V

mutuum